

servanda esset, tenores hujusmodi presentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea, quae presentibus decreto, ac prohibitioni adversantur, illis aliis in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sancti-  
tatis suae auctoritate derogat, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae die 7. Septembris 1624.  
Cosm. Card. de Torres. Loc. Sigilli. Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secret. Cum post editum decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus, loco censum hujusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis; Cumque ex hujusmodi contracta eludatur mens Sac. Congr. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quae ex impositione censum hujusmodi plurimum laeduntur; S. D. N. approbante dictavit, & declaravit hujusmodi contractum esse contra mentem decreti ut supra editi: ideoque non licere Regularibus pecunias, ut proponitur, accipere, ac si acciperent, in ipsius decreti poenas ipso facto incidere. Datum Romae 21. Martii 1626. Cosm. Card. de Torres. Loc. Sigilli. Prosper Fagnanus: vide Card. Petram tom. 4. constit. 6. Benedic. XII. num. 9. 22. 23. 41. & per tot. ubi plura ad rem.

31. Quartodecimo Regulares sine beneplacito, & solemnitate nequeunt transferre bona de uno monasterio divite in aliud monasterium, etiamsi sit ejusdem provinciae, & religionis, quia talis translatio est alienatio, per quam transferitur dominium directum, aut utile, quod est prohibuit ab extraneo. Ambitiose, & à decreto Sac. Congr. Conc. num. antecedenti allato, cum extravagans, & decretum habeant per principali sine indemnitate singularum ecclesiarum, & monasteriorum in particulari, ut in singulis conservetur commodè divinus cultus cum congrua sustentatione Religiosorum ibi degentium, qui finis non servaretur, si bona unius conventus, vel monasterii possent in aliud etiam ejusdem religionis, & provinciae transferri, & alienari; sed hoc potius esse unum altare spoliare pro altero vestiendo cum diminutione divini cultus, quod nullatenus fieri debet per text. in c. Cum causam 26. de Præbend. Clement. Quia contingit 2. de religiosis domib. Novell. 6. collat. 1. tit. 6. c. 2. §. Si. Sic expressè decrevit Sac. Congr. Conc. in una Congregationis Montis Olivæti 27. Julii 1647. tom. 18. Decret. pag. 376. ibi: Sacra Ec. censuit non esse concedendam facultatem, convertendi, ut inquit, gli avanzi de' fructi de' monasterj ricchi, e ben governati in solutionem debitorum, qua ab aliis monasteriis solvi debent. Ita refert & tenet Card. Petra tom. 4. comm. ad const. 6. Benedic. XII. num. 38. Et tenuit Rota recent. part. 5. decis. 571. num. 6. part. 7. decis. 191. num. 11. & tenent passim DD. Potest tamen Prælati Regularis de consensu capituli conventualis permutationem facere de aliquibus mobilibus uni monasterio superfluis cum aliquibus aliis mobilibus alteri monasterio etiam superfluis, ut sic per vicissim superflua commutata in vicissim necessaria, vel utilia, commodo, & utilitati utriusque monasterii consulari. Non potest autem fieri permutatio, seu alienatio immobilium; seu mobilium pretiosorum ex uno monasterio in aliud etiam ejusd. Ordin. sine beneplacito apostolico. Sic Sac. Congr. Conc. in una Regularium Alienationis, in qua ad instantiam Procurat. General. Ordin. Prædicat. propositio dubio: An alienationes, de quibus agitur in decreto de rebus regular. non alienand. quatenus inter monasteria ejusd. ordinis, & quidem cum utriusque contrahentis monasterii utilitate fiant, ita prohibita, atque interdixit censentur, ut absque Sac. Congr. licentia perfici non possint, sub die 27. Februarii. 1666. respondit: Ita esse prohibitas; quam declarationem probavit Sanctissimus, ut refert Card. Petra tom. 4. comm. ad constit. 6. Benedic. XII. n. 36. (Legis 2. §. tit. 14. p. 1. jam citate non est obliviscendum.)

33. Quintodecimo sine beneplacito apostolico Regulares nequeunt alienare mobilia pretiosa, neque cum consensu Diffinitorii, & approbatione capituli generalis, ut declaravit Sacra Congregatio Concil. in Segnien. alienationis

mobilium pretiosorum die 15. Martii 1692. in qua cum proponeretur, Ministrum Provinciale Minorum de Observantia provinciae Croatiae cum consensu Diffinitorii, & approbatione capituli generalis, bona fide sine assensu apostolico alienasse ex sacro ecclesiae Beatae Mariae Tersacensis (ubi triennio steterat Beata Virgo Laureana) Calices, Patenas, & alia mobilia pretiosiora, gemmis, auro contexta; eo potissimum, quia mobilia per vetusta erant, nec quotidiano usui accommodata, eorumque pretium in provincialium conventuum egestates, & in usalia ipsius ecclesiae ornamenta erogasset; propositis idcirco dubiis. I. An dicta alienatio mobilium pretiosorum fuerit, & sit valida. II. An alienans sine beneplacito apostolico in aliquam poenam incidit? Sac. Congr. respondit ad I. Negativè. Ad II. incidisse in poenas sacrarum canonum, constitutionum apostolicarum, & decreti san. mem. Urbani VIII. & pro absolute supplicet Sanctissimo. Sic præcisè refert Card. Petra tom. 4. commentar. ad constit. 6. Benedic. XII. num. 9. & tom. 5. commentar. ad constit. 5. Pauli II. sect. 2. num. 2.

Immo Regulares, maxime in conventibus subjectis Episcopis, de seipsis neque possunt alienationem facere terrularum, & vineolarum vigore cap. Terrulas, cum ad talem alienationem requirit facultatem, & decretum Ordinarii declaravit Sac. Congr. Episcop. & Regular. in Trop. Alienationis 11. Januarii 1592.

Sextodecimo Regulares nequeunt sine beneplacito apostolico hypothecare bona specialia monasterii, cum hypotheca, & oppignoratio specialia sit omnibus expressè prohibita. cap. Nulli 5. de rebus eccles. non alienandis, & talis intelligitur, qui specialiter prohibetur in cit. extravagans. Ambitiose, & decret. Sac. Congr. Concil. jussu Urbani VIII. edit. & relat. supr. num. 30. Unde Regulares nequeunt nedum censuario nomine, sed neque ad cambium, vel mutuo accipere pecuniam cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, & pro tali mutuo obligare, seu in pignore dare res sacras, aut mobilia, ut decrevit eadem Sac. Congr. Conc. in Romana 1. Septemb. 1657. & confirmavit 26. Martii 1689. & de Prælati Regulari, qui absque licentia Sanctae Sedis, & Superiorum sui Ordinis oppignoraverat sex candelabra argentea, declaravit die 1. Octobris 1672.

Possunt tamen sine beneplacito apostolico hypothecare, seu facere hypothecam, & obligationem generalem omnium bonorum monasterii; aliter Regulares nullos contractus inire possent; cum in omni contractu de consueto apponatur clausula obligatoria bonorum, & sine hac clausula nullos invenirent creditores, qui vellet eis succurrere in suis necessitatibus, quod pro eis nimis durum esset, & idè Sac. Congr. Concilii decrevit, hypothecam generalem non esse eis prohibitam, prout refert Fagnanus. lib. 3. Decretal. in cap. Nulli liceat 5. de rebus eccles. non alienandis num. 32. his verbis: De-  
num hanc sententiam approbavit meo tempore Sac. Congr. Concil. in contractibus Regularium; nam propositio dubio: An in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, comprehendatur generalis hypotheca, nec ne? Sac. Congregatio censuit non comprehendit. Et in eodem sensu fuit ead. Sac. Congr. in Romana Beneplaciti 13. Januarii 1691. in qua cum Patres Sancti Pauli de Arenula domum emissent; ac pro parte pretii non soluti solvere promississent fructus recompensatis cum hypotheca bonorum omnium Conventus, reservato, quatenus opus esset, beneplacito apostolico, quod tamen nunquam imperatur, resolutum fuit in nullam poenam incidisse. Sic refert, & tenet Card. Petra. tom. 4. comm. ad constit. 5. Benedic. XII. num. 29. ubi citat Rotam Romanam, Card. de Luca, Giballinum, Merlinum, Panimoll. Castropal. & alios, dicitque id esse communiter receptum. Si tamen vigore generalis hypothecae deberet procedi ad habitationem bonorum, tunc requireretur beneplacitum apostolicum, ut declaravit Sac. Congr. Episcop. & Reg. 28. April. 1648. & tenuit Rota dec. 261. n. 11. coram Roya & tradunt passim DD. apud Panimoll. decis. 60. adnot. 3. n. 73. & Card. Petram loc. cit. n. 39. (Etiamsi sub alienationis nomine prohibito vendendi, permutandi, pignorandi, censum, & servitium im-

ponendi per leg. 10. tit. 33. p. 7. ingrediatur; tamen causis animadversis subsistentibus videtur omnia bona hypotheca subijci valere; vide supra adnotatas leg. maximeque si intervenit superioris & capituli consensus leg. 63. tit. 18. p. 3. in qua idem assertur, id est, quod omnium bonorum potest effi obligatio. Vid. leg. 7. t. 5. lib. 1. Reg. For. leg. 3. tit. 2. lib. 1. Ord. Reg. & l. 10. ejusd. tit. & lib.)

Decimo septimo moniales sine facultate Sacrae Congregat. nequeunt alienare dotem supranumerariae Choristae. Sic decrevit Sac. Congr. Episcop. & Regular. in Arentina 14. Martii 1597. sed omnino investiri debet; eadem Sac. Congr. Episcop. & Regular. in Mediolanensi 12. Martii 1602. Et talis dotis investitio debet fieri in bonis stabilibus, vel iis deficientibus in censibus securis; eadem Sac. Congr. Episcop. & Regular. in Ferrariens. 14. Novemb. 1601.

Dos autem Conversae, licet supranumerariae, potest sine tali facultate expendi in necessitatibus monasterii, quia praeceptum investendi dotes supranumerarias intelligitur solum de Choristis, prout declaravit eadem Sac. Congr. Episcop. & Regular. in Castellana 13. Maij, & Parmensi. 15. Septemb. 1603. & in Fulginate. 14. Novemb. 1625. Dotes tamen monialium intra numerum positum expendi in utilitatem monasterii cum sola facultate sui Superioris, ut declaravit ead. Sac. Congr. Episcop. & Reg. in Ferrar. 23. Mart. & Arimens. 22. Maij 1601.

Decimo octavo moniales, & regulares nequeunt sine beneplacito apostolico alienare pecuniam relictam monasterio, vel deputatam ad emendum bonum immobile, vel mobile pretiosum, quia licet pecunia ex se nec sit bonum immobile, nec mobile pretiosum; ut relicta tamen, & deputata ad emendum bonum immobile, debet haberi pro bono immobili; & ut relicta, & deputata ad emendum bonum mobile pretiosum, debet haberi pariter pro mobili pretioso: Unde cum immobilia, & mobilia pretiosa ex cap. Nulli liceat 5. de rebus eccles. non alienandis, ex cit. extravagans, Ambitiose, & allat. decret. Sac. Congr. Concil. 7. Septemb. 1724. & 21. Martii 1726. prohibeantur alienari sine beneplacito apostolico; sine ipso pariter nequit alienari talis pecunia relicta, vel deputata ad emenda talia bona immobilia, vel mobilia pretiosa arg. l. Ita constante 26. ff. de Jure Dotium. (Ad rem vendit lex 49. tit. 5. part. 5.) Et sic tenet Rota in conductu pretii, seu nullitate contractus 13. Novemb. 1602. coram Pamphilio & in Perustiana Censu 2. Martii 1708. coram Card. Scoto Pignatelli. tom. 6. consult. 95. num. 21. & sequent. Lezana tom. 2. cap. 19. num. 59. Redoan de rebus Eccles. non alienand. quest. 16. num. 15. Card. Petra tom. 5. commentar. ad constit. 5. Pauli II. sect. 2. num. 31. & alii passim. Et neque possunt alienare sine beneplacito apostolico immobilia pro Fabrica monasterii; Sac. Congr. Concil. 13. Martii 1615. Possunt tamen sine beneplacito convertere in usus conventuum spolia suorum religiosorum defunctorum, vel religiosorum defunctorum, quia vere non sunt pecunia destinata ad emptionem. Unde Sac. Congr. die 28. Februarii 1654. tom. 19. decret. pag. 319. propositio dubio; N. Superior Regularis querit pro quiete sua conscientia: An si ipse pecunias provenientes ex spolio religiosi defuncti, iuxta consuetudinem monasterii pure abeque aliquo vinculo deposuerit in banco publico civitatis, illas postea juxta eandem consuetudinem erogando in dictum usum, & necessitates urgentes ipsius monasterii ob penuriam, & infirmitates supervenientes, ut ex partibus libri ejusdem monasterii liquere assertur, incidit in poenas expressas in decreto de rebus Regularium non alienandis inhaerente etiam constitutione Pauli II. eo quod prius non obtinuerat licentiam. Sac. Congr. secundum ea quae proponuntur respondit, non incidisse, sic refert Card. Petra tom. 5. comm. ad const. 5. Pauli II. sect. 2. n. 33.

Decimonono moniales, & regulares nequeunt sine beneplacito apostolico pro extinguendis debitis monasterii alienare bona, vel pecuniam redactam, seu retractam ex redemptione census: Sac. Congr. Conc. 19. April. 1619. Et ratio est, quia quavis Jura concedant alienationem

rerum ecclesiae interveniente necessitate, non tamen concedunt, quod fiat non servatis debitis solemnitatibus, sed solum permittunt non servari solemnitates, quando necessitas est adeo urgens, ut non patiat talis solemnitas servari, ut inter alios notat Cardin. in Clement. I. num. 29. de rebus eccles. non alienandis. Villadieg. tractat. de leg. quest. 11. in fine, alios adducens, Abbas in cap. fin. de eccles. edificand. Turrecremata in summa lib. 12. quest. 2. Redoan de rebus eccles. non alienand. quest. 19. num. 34. & habetur ex cap. Placuit 12. p. 2. Sed necessitas extinguendi debita monasterii non est tam urgens, ut non patiat servari requisitas solemnitates, cum de facili possunt Creditores expectare, donec habeatur beneplacitum pro validitate contractus, adeoque &c. Et pari ratione nequit alienari pecunia redacta, seu retracta ex redemptione census, quia cum talis pecunia successerit loco rei, arg. leg. Ita constante 26. ff. de Jure Dot. sicut non potest res ipsa alienari pro extinctione debiti, ita neque etiam ipsa pecunia sine debita solemnitate; arg. l. Si pupillorum §. Si Praetor. ff. de rebus eorum. Et sic tenet Turrecremata loc. cit. Redoan, Riccius, Genuens. Vasq. & alii plurimi, & sic statuit Rota Rom. in Veneta Nullit. contract. 13. Novemb. 1602. coram Pamph. Non negarem tamen posse pecuniam ex census extinctione, vel mobilium pretiosorum venditione retractam implicari in extinguendo censu super bonis monasterii sine facultate Sac. Congr. ut docent Anton. de Spiritu Sancto tractat. 3. disput. 6. sect. 6. num. 1169. Felix Potestas tom. 1. n. 927. Donatus tom. 1. tract. 14. quest. 74. cum aliis ibi allegatis, quia sicut onerare fundum monasterii est alienatio, ita illum exonerare erit reacquisitio, ad quam non requiritur beneplacitum. Tutius autem & consultius est exquirere beneplacitum; quia Donatus loc. cit. in fine testatur, quod hodie decreto Sacrae Congregationis Regularium servatur contrarium.

\* Distinctio in subjecta materia recepta haec est, quod scilicet aut ecclesia nullum adhuc jus vel ad rem, vel in re facta est, & in hoc casu nec transactio, nec quilibet alius actus cadit sub prohibitione extravagans. Ambitiose, eo quia non de admitendo, sed de non acquirendo agitur, de quo nihil fuit dispositum in dicta extravagans. Ambitiose. Aut vero ecclesia jus aliquod ad rem vel in re jam acquisivit, & in hoc disparato casu tam transactio, quam quilibet alius actus, per quem ad remissionem hujus juris questiti devenitur, continetur sub prohibitione extravagans. Ambitiose: ex ea solidissima ratione, quod verb. Alienationis in dicta extravagans, latissime accipitur, comprehenditque omnem actum, per quem transferitur, vel remittitur non solum quicquid est domini ecclesiae; verum & quodlibet jus eidem ecclesiae questitum. Ita nulla habitatio nec ecclesia possidet, necne, distinguunt Cardin. Petr. in Comment. ad constit. apostol. constit. 5. Paul. II. quae est haec Ambitiose de qua disseritur, sect. 2. num. 78. & plur. seq. Valerion. de transact. tit. 4. quest. 1. num. 23. & plur. seq. Urceol. eod. tract. quest. 24. à num. 27. ad plur. seq. Sanfelice. decis. 280. num. 3. Add. ad Burett. decis. 773. num. 2. Rota cor. Ubald. decis. 334. numer. 17. cor. Molin. decis. 161. num. 15. & cor. Ansal. decis. 189. num. 7.

Hinc colligitur errare Tondut. quest. benefic. lib. 1. cap. 19. num. 4. asserentem ecclesiam sine solemnitatibus transigere posse de hereditate sibi delata; eaque adita, ut eo improbat firmant Andreol. contror. 372. num. 6. & seq. Card. Ant. de Luc. ad de Franch. Tonduti. 14. n. 7. Quinimodò nec procedi posse cum opinione Tonduti, si ecclesia in illo ipso actu, in quo hereditatem adit, de eo transigat, vel alio modo disponat, firmant Cardin. Petr. in comment. ad constit. apostol. constit. 5. Pauli II. sect. 2. n. 83. Sanfelice. decis. 280. sub n. 3.

Olim controversia haud caruit, num fieri possit alienatio sine solemnitatibus ab una in aliam ecclesiam. Affirmant inter alios Tambur. de Jur. Abbat. 1. 3. disp. 13. q. 2. numer. 19. At negativè opinioni adhaesit Rota in Compostellana Permutationis 1. Decemb. 1749. à §. 2. ad §. 13. & in confirmatoria 6. Martii 1750. §. 2. cor. Reverendiss. Molin.

Etiamsi agatur de Regularibus exemptis, assensus aliena-

BIBLIOTECA CENTRALI



nationibus rerum exigui valoris nequit præstari ab eorum Prælato, sed præstandus est ab Episcopo, ut rescripsit Sac. Congr. Conc. interpres in *Conversana jurisdictionis* 8. *Majj* 1751. *ad dab.* 26. Abbatem vero polentem exemptione tertie speciei posse assensum hunc præstare, firmant Bohemer. in *Decret. lib. 3. tit. 13. §. 4. Flores de Men. variorum. lib. 3. quæst. 24. num. 7. Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 3. disp. 13. quæst. 5. num. 2. Rot. cor. Ansal. decis. 519. num. 36.* Intellige tamen nisi agatur de rebus proprii monasterii, idque, quia nemo suam auctoritatem in rem suam præstare valet. Hoc vero casu assensus non ab Episcopo, sed à Summo Pontifice est præstandus, Tamburin. *de Jur. Abbat. tom. 3. disp. 13. quæst. 5. n. 2.*

Alia ad rem vide infra additiones ex aliena manu; verb. Beneplacitum apostolicum.

ARTICULUS V.

Alienatio quoad modum succurrendi ecclesie per ipsam enormiter læsæ, & quoad actiones ipsis ecclesie competentes.

SUMMARIUM.

- 1 Si alienatio facta fuit invalidè ob non servatas solemnitates, succurrendum est ecclesie per totalem rescissionem contractus.
- 2 Si vero alienatio fuit valida ob omnes servatas solemnitates, & postea appareat ecclesiam fuisse enormiter læsam, succurrendum est ecclesie remedio restitutionis in integrum.
- 3 Ecclesia tamen tenetur in tali casu refundere pretium, aliasque expensas in utilitatem ipsius factas, & melioramenta, quæ augent valorem bonorum alienatorum, reficere.
- 4 Ad succurrendum ecclesie potest rem alienatam repetere non solum successor malè alienantis, sed etiam ipse malè alienans.
- 5 Quamvis juraverit se non repetiturum.
- 6 Et in defectum malè alienantis, & ejus successoris quilibet Clericus rem malè alienatam repetere potest.
- 7 Ecclesia læsa per malam alienationem duplicem habet actionem: Primam contra personam malè alienantem, ut damnum illatum ecclesie resarciat.
- 8 Et hæc actio etiam contra hæredes malè alienantis institui potest.
- 9 Secundam actionem habet in rem contra possessorem rei malè alienatæ, ut restituat rem cum fructibus.
- 10 Rem ecclesie malè alienatam scienter, mala fide recipient non facit fructus suos, sed tenetur eos restituere una cum melioramentis.
- 11 Novæ add. ex aliena manu.

Si alienatio facta fuit invalidè ob non servatas solemnitates, succurrendum est ecclesie per totalem rescissionem, & annullationem contractus. Si vero alienatio fuit valida ob omnes servatas solemnitates, & postea appareat ecclesiam fuisse enormiter læsam, succurrendum est ecclesie remedio restitutionis in integrum; cap. Ad nostram 11. de rebus eccl. non alienand. § cap. 1. de restitutione in integrum. Ecclesia tamen tenetur in tali casu refundere pretium, aliasque expensas in utilitatem ipsius factas, & melioramenta, quæ augent valorem bonorum alienatorum, reficere, quæ eccl. quæ est pia, & cultrix justitiæ, non debet locupletari cum alterius damno; cit. cap. Ad nostram, & cap. Locupletari 48. de Regulis juris in 6. Et sic expressè decrevit Sac. Congr. Episc. in una *Biltheren.* 5. *Martij* 1693.

Ad succurrendum ecclesie potest res alienatas repetere non solum successor malè alienantis; c. 2. de precariis, sed etiam ipse malè alienans, c. Si quis Presbyterorum 6. hoc tit. juncta glossa verb. Alienator, quamvis juraverit se non repetiturum, cum hoc sit illicitum, arg. cap. Intellecto 32. de Jurejurando. Et in defectum malè alienantis, & ejus successoribus quilibet Clericus rem malè alienatam repetere potest, cit. cap. Si quis

Presbyterorum in fine: ubi Alexander III. decrevit, quod in casu illegitimæ alienationis liceat quibuscumque ecclesiasticis vocem contradictionis afferre, & cum fructibus possint contra reddere, & ecclesiastica auctoritate fulciri.

Ecclesia læsa per malam alienationem, duplicem habet actionem; Primam contra personam malè alienantem, ut damnum ecclesie illatum resarciat, c. Monemus 12. g. 2. § l. 3. Cod. Si tutor vel curator intervenierit, juncta glossa. in cap. Si quis Presbyterorum verb. Alienata hoc tit. Et hæc actio etiam contra hæredes malè alienantis institui potest, cum hæres censetur eadem persona cum defuncto, juxta *Autben. de Jurejur. §. coll. 1. & succedat in omne jus defuncti, leg. Cum Heres ff. de divers. temporal. præscription. Secundam actionem habet in rem contra possessionem rei malè alienatæ, ut restituat rem cum fructibus; cit. cap. Si quis Presbyterorum: ubi, ut patet in numero antecedenti, dicitur expressè, ut cum fructibus possit alienata reposcere. Et merito, quia rem ecclesie malè alienatam scienter, & mala fide recipient non facit fructus suos, sed tenetur eos restituere una cum melioramentis, leg. Jubemus 14. §. Sane Cod. de Sacrosanctis Eccl. Et sic tenet Abbas in cap. Si quis Presbyt. 6. de rebus eccl. non alien. Pirhing, & alii passim. (Vid. l. 11. § 12. l. 14. p. 1. & 2. l. 5. lib. 1. For. Reg.)*

De restitutione fructuum in hoc judicio latissime pluribus distinctis casibus agit Romaguer. in *Synodal. Gerund. lib. 3. tit. 5. cap. 1. ad num. 28. ad fin. &*

ARTICULUS VI.

Alienatio quoad penas malè alienantium, & ad ipsam cooperantium.

SUMMARIUM.

- 1 Prima pena est, quod talis alienatio facta non servatis requisitis solemnitatibus ipso Jure sit nulla, adeoque rescindenda.
- 2 Et hæc nullitas, seu invaliditas est intelligenda pro foro externo.
- 3 Secunda pena est quod tam alienantes, quam alienata recipientes, & subscribentes incurrant excommunicationem majorem.
- 4 Et hæc excommunicatio non est reservata.
- 5 Ab hac tamen censura incurrenda excusantur alienantes, & cooperantes ex ignorantia juris, vel facti, dummodo talis ignorantia non fuerit crassa, & supina.
- 6 Ab hac censura incurrenda excusantur etiam illi, qui bona ecclesie alienarunt absque debitis solemnitatibus, si penitentia, aut alio titulo ducti alienationem revocarunt ante realem, & pacificam traditionem.
- 7 Tertia pena est, quod Episcopi, vel Abbates malè alienantes subjacent Interdictio ingressus in ecclesiam, & si per sex menses talem penam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii, & dignitatis sint suspensi.
- 8 Inferiores autem Prælati, Commendatarii, & alii ecclesiarum Rectores beneficii, quorum bona malè alienaverint, sint ipso facto privati.
- 9 Regulares autem, qui immobilia, & mobilia pretiosa alienant, locant, vel distrabunt, census, & hypothecas speciales constituunt absque facultate Sac. Congr. Concil. præter penas cit. extravagant. Ambrosias, incurrunt ipso facto penam privationis officiorum, inhabilitatis ad illa, vocis activæ, & passivæ.
- 10 Et hæc penas incurrunt absque alia sententia declaratoria.
- 11 Neque valet ad affugiendas recensitas penas adducere non usum constitutionis Ambrosias.
- 12 Recensitas autem penas non incurruntur, si ubi adest necessitas, & evidens ecclesie utilitas, & pietas, alienantur bona ecclesie modici valoris cum facultate Episcopi.

Quo-

- 13 Quasdam penas malè alienantium bona ecclesiastica attendenda est notissima Constitutio Benedic. XIV. in qua sub pena excommunicationis, nullitatis actus, &c. multa prohibentur, quæ assignantur.
- 14 Substantur Supplementa Auditoris.
- 15 Addit. ex aliena manu.

**P**enas malè alienantium, & cooperantium sunt variae. Prima est, quod talis alienatio facta, non servatis requisitis solemnitatibus, ipso Jure sit nulla, adeoque rescindenda, cap. Sine exceptione 12. quæst. 2. cap. Si quis Presbyter, 6. hoc tit. *Clement. 1. Extravagant.* Ambrosias de rebus eccl. non alienand. inter communes. Et hæc nullitas, seu invaliditas est intelligenda pro foro externo; nam pro foro interno, seu conscientie valida est alienatio rei ecclesiastica, quæ fit auctoritate Superioris, aliorumque, quorum interest, consensu sine ulla fraude, ac dolo ex justa causa necessitatis, vel utilitatis ecclesie, aut pietatis, quamvis prætermissa fuerit formula juris. Sic Abbas in c. Quia plerique n. 31. de imm. eccl. & c. Requisivit n. 19. de integritate res ubi probat, quod omnis contractus in foro conscientie validus sit, licetque retineatur res per ipsum acquisita, quando in eo fuit servatum, quod jus naturale præscribit, scilicet, absentia deceptionis, & verus contrahentium consensus, licet non fuerit servata forma præscripta à Jure positivo: Et sic tenent Innoc. Riccius, Laymann, Engel, Azorius, Navarrus, Zoelius, Anacletus, & alii passim.

Secunda pena est quod tam alienantes, quam alienata recipientes, & subscribentes, incurrant excommunicationem majorem; c. Apostolicus, cap. Non liceat de rebus 12. g. 2. cap. Si quis Presbyter, & Extravagant. Ambrosias. Et ista excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu ipso Extravagantis Ambrosias. Ab hac tamen censura incurrenda excusantur alienantes, & cooperantes ex ignorantia juris, vel facti, dummodo talis ignorantia non fuerit crassa, vel supina, ut expressè habetur cap. Ut animalium periculis 2. de constitutionibus lib. 1. tit. 2. in 6. & tenent Barbosa in Extravagant. Ambrosias num. 33. Navarr. Quaranta, Filliucius, Bonacin, & alii communiter. Ab hac censura incurrenda excusantur etiam illi, qui bona ecclesie alienarunt absque debitis solemnitatibus, si penitentia, aut alio titulo ducti alienationem revocarunt ante realem, & pacificam traditionem, cap. Si quis Presbyter. 6. hoc tit. Barbosa loc. cit. Covar. Quaranta, Navarr. Filliuc. & alii.

Tertia pena est, quod Episcopi, vel Abbates malè alienantes subjacent Interdictio ingressus in ecclesiam, & si per sex menses talem penam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii, vel dignitatis sint suspensi. Inferiores autem Prælati, Commendatarii, & alii ecclesiarum Rectores beneficii, quorum bona malè alienaverint, sint ipso facto privati, ut habet expressè cit. Extravagant. Ambrosias.

Regulares autem, qui immobilia, & mobilia pretiosa alienant, locant, vel distrabunt, census, & hypothecas speciales constituunt absque facultate Sac. Congr. Concil. præter penas cit. Extravagant. Ambrosias, incurrunt ipso facto penam privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, vocis activæ, & passivæ ex Decreto Sac. Congr. Conc. 6. Septemb. 1624. jussu Urbani VIII. edito, & per extensum supra relato art. 4. num. 30. Et hæc penas incurrunt absque alia sententia declaratoria, ut respondit Sac. Congr. Conc. in Romana pro Cisterciensibus 1. Septemb. 1657. & confirmavit 26. Martij 1689. in responsione ad sequentia dubia.

1 An Abbates, qui præsent monasteriis ære alieno censuario nomine gravatis, teneantur dictos census redimere, quamvis tempore antecessorum factos?

2 Quatenus teneantur, an negligentes incidant in penas contentas in decreto de Rebus Regularium non alienandis?

3 An ad effectum incidendi in eas, opus sit præcedenti declaratione?

4 An Superioribus regularibus liceat mutuo accipere pecunias absque monachorum consensu capitulariter requisito?

Die 26. Martij 1689. confirmando decretum anno 1657. latum, respondit.

Ad primum teneri.  
Ad secundum incidere.  
Ad tertium ad effectum eas incurrendi, non requiri declarationem.  
Ad quartum non posse. Lib. 21. decis. fol. 56.

Neque valet ad effugiendas recensitas penas adducere non usum constitutionis Ambrosias, quia non usum non est allegabilis, cum ubique præsumatur recepta, ut tenet Pignatell. tom. 9. consuit. 126. n. 4. Clarin. contr. 105. num. 111. & 112. Genuens. Ventrigl. Monacell. & alii passim, & sic expressè declaravit Sac. Congr. Conc. in *Uladislavien.* 1. Julij 1647. in qua cum adduceretur, dictam Extravagantem Ambrosias non esse usum receptam in illis partibus, adeoque non esse necessarium beneplacitum apostolicum, respondit præcisè verbis: Non usum dictæ constitutionis allegabilis non esse, & absque beneplacito alienationes fieri non licere; Sic lib. 18. decretal. pag. 335. & in una *Mediolanens.* 13. Novemb. 1655. censuit, bona ecclesiarum, & priorum locorum non posse alienari, nec concedi sola auctoritate Archiepiscopi, sed omnino requiri beneplacitum apostolicum ad præscriptum constitutionis Pauline, non obstante prætenso allegato non usu, seu consuetudine, & die 20. ejusdem Julii relatione Sanctiss. approbavit lib. 19. decr. pag. 533.

Recensitas autem penas non incurruntur, si ubi adest necessitas, & evidens ecclesie utilitas, & pietas, alienantur bona ecclesie modici valoris cum facultate Episcopi, qui auctoritate sibi attributa in cap. Terrulas 12. quæst. 2. cui nunquam fuit derogatum, licentiam concedere potest alienandi res ecclesiasticas, que non excedunt valorem quadraginta scutorum romanorum, ut censuit Sac. Congr. Episcop. in una *Terenina* 22. *Majj* 1601. & in una *Mesranens.* 29. *Novemb.* 1613. ubi dicit sic etiam declarasse Paulum V. Vide supra art. 3. n. 1. 2. 3.

Quoad penas malè alienantium bona ecclesiastica, attendenda est novissima constitutio felicis recordationis Summi Pontificis Benedic. XIV. Incipi. Universalis Ecclesie, in qua sub pena excommunicationis, nullitatis actus, & contractus, & sub omnibus penis statutis contra alienantes bona ecclesie, prohibet Clericis alienare commodum recipiendi fructus, seu vendere, & distrahere pro toto tempore vite suæ, aut per decursum longi temporis redditus, & proventus suorum beneficiorum, recipiendo ab emptore una, aut pluribus solutionibus illam quantitatem pecunie, quam ipsi beneficiarii pro spatio dicti longi temporis, aut suæ vite probabiliter essent consecuturi.

\*\*\* Attendenda sunt quæ tradit Card. Petra tom. 5. comment. ad const. 5. Pauli II. sect. 2. num. 5. de Superiore regulari incidere faciente arbores fructiferas in proprio viridario; videtur simile dubium fuisse propositum in Sac. Congr. Conc. sub die 27. Junij 1665. ibi: Nonnulli regulares religiosa conscientia supplices petunt, ut per hanc Sac. Congregat. declararetur, an Prælati, sive Superior regulares possint incidere, seu includi facere in suo Monasterio, seu viridario arbores fructiferas ibidem existentes, & incidendo, seu incidendi mandando, incidat in penas comminatas in Extravagant. Ambrosias de rebus eccl. non alienand. & in decretis generalibus hujus Sac. Congregat. de reb. regul. non alien. Sac. Congr. censuit: Non respondendum, nisi in casibus particularibus tom. 4. decret. pag. 536. Et quidem optima ratione, quia aliquando in viridariis opus est arbores renovare, & alias eradicare pro majori utilitate ipsius, sic debet considerari fructus comparative ad viridarium, & non ad singulas arbores. Unde in dubio *Incisionis arborum* 29. Julij 1684. Sac. Congr. dixit, Ad mentem, quæ fuit non incidisse in penas contentas in decr. de rebus eccl. non alienand. prælatum regularem, qui arbores incididerat, alias subrogando in aptiori loco: Et alia quoad incisionem arborum, vide late Passerin. de statu hom. tom. 1. quæst. 185. art. 7. numer. 340. & sequent. ubi dicitur Passerinus inter alia notabilia sub num. 367. asserit, quod incidere licet possunt arbores, si materia sit prava, & ex incisione fundus non red-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.B.L.



reddatur notabiliter deterior; citans ad id Roiam de-  
cis. 553. part. 2. recent. Peyrin. Lezaanam, Donatum,  
Ciarlinum, & concludit, quod non dubitat hujusmodi  
notabile detrimentum non esse arbitrarium, & conside-  
randum tam ex quantitate, & qualitate arborum, & si-  
ne, ad quem fuerunt plantatae. Unde potest contingere  
quod in ordine ad penas incurandas nec incisio quin-  
que, sex, decem, & amplius arborum, si sint parvae, &  
vix natae, ferat modicum nocumentum, & quod contra  
unius solius singularissimae in suis qualitatibus sit no-  
tabiliter aestimanda, & reddat fundum notabiliter de-  
teriorum. \*\*\*

De penis alienantium bona ecclesiae sine solemn-  
nitatibus consule Cardinal. Petr. in comment. ad constit.  
apostol. constitut. 5. Pauli II. sect. 2. per tot. ubi de me-  
liorationibus, & fructibus quoque plura hispan. in res ec-  
clesiae violenter abstrahentes; vide leg. 5. tit. 5. lib. 1.  
(Variè assignantur poena per jus hispan. in res ec-  
clesiae violenter abstrahentes; vide leg. 5. tit. 5. lib. 1.  
For. Reg. 1. tit. 18. lib. 8. Ord. Reg. Vide qua adnotan-  
tur in add. hisp. verb. Bona, vers. Perturbare cum l. 17.  
tit. 10. part. 7. etiamque animadvertente add. verb. Fur-  
tum, versio. Sacrilégii, quae quidem poena mortis auxil-  
iantes, celantes, & consilium praebentes comprehendit,  
ut ex ipsa lege ibi citata patet.)

ALIMENTA.

SUMMARIVM.

- 1 ALIMENTORUM nomine quid veniat, ad n. 13.
- 2 Filius quomodo praeferat debet alimenta, ad n. 26.
- 3 Quantitas, & qualitas hujusmodi alimentorum, ad n. 28.
- 4 Religioso à quibus & quando praestari debeant hec  
alimta, ad num. 48.
- 5 De alimentis, quae praestare debent filii, ad n. 54.
- 6 Et fratres, ad n. 60.
- 7 Patruus, & Nepotes, ad n. 66.
- 8 Coniuncti.
- 9 Maritus, & uxor, ad n. 83.
- 10 Controvertitur nonnulla circa alimenta sive praestanda,  
sive exigenda qualiter decidende, ad n. 116.
- 11 Alia ad rem, remissive.
- 12 Subnectuntur Auditoris supplementa.
- 13 Nova additiones ex aliena manu, ad n. 143.

ALIMENTORUM nomine generaliter veniunt omnia,  
quae sunt necessaria ad honestam, & congruam vitam hu-  
manam sustentationem & communem per claros textus, in l.  
Legatis alimentis 6. & l. Rogatus 23. ff. de aliment. vel  
cibariis legatis, l. Verbo victus 43. l. Et cetera, l. Ins-  
trumtum 45. & l. Quos nos 234. §. 2. ff. de verb. significat.

Hinc pro alimentis venit in primis cibus, & potus,  
cit. leg. Legatis 6. & cit. leg. Rogatus 23. ff. de alimentis,  
vel cibariis legatis, cit. leg. Verbo victus 43. & leg.  
Quos nos 234. §. 2. ff. de verb. significat. Nomine autem  
cibi veniunt panes, carnes, & alia edulia pro qualitate,  
& conditione personarum. Surdus de alimentis tit. 4.  
q. 8. Menochius de praesumpt. leg. 4. praesumpt. 152.  
n. 13. & seq. Rosignol. de effectib. matrim. contract. 15.  
de matrimonio IX. praenot. 8. num. 2. Nomine vero potus  
veniunt vinum, cerevisia, & alia potionis genera; &

Juxta leg. infra proximè citat. bene Auctor se gerit dum refert quae alimentorum nomine comprehendantur, etiamque inter alia, expensas ad artes, & disciplinas honestas à filiis addendas; in quo quidem à jure patrio non discrepat, & per consequens nulla filio imponitur necessitas, similes expensas aliis fratribus restituenti; (1) nihilominus, scitu dignum notatur, quamcumque inaequalitatem omnino esse inter liberos removendam; (2) ita ut quidquid pater aliquid ex filiis ultra id, quod propriè alimentorum nomine gaudet, nisi in meliorationis conceptu dederit, (3) reddere tenetur, ut divisio inter cohaeredes aequaliter servetur: nam illud omne quod legitimam, quinti-

(1) L. 5. tit. 15. part. 6. ibi: Et utrosque decimos, quae los libros, & las despensas, que el padre diese à alguno de sus hijos, para aprender alguna sciencia en escuelas, non gelas pueden contar los otros hermanos en su parte en la particion...  
(2) L. 4. ejusd. ibi: E esto es porque se guarde igualdad entre ellos...  
(3) L. 2. tit. 6. lib. 5. El padre, ó la madre, ó qualquier de ellos, puedan, si quisieren hacer el tercio de mejora que podian hacer à sus hijos, ó nietos, conforme à la Ley

etiam aqua, ubi est venialis, textu expresso in leg. Si  
alimenta 1. ff. de alimentis, vel cibariis legatis: ibi: Si  
alimenta fuerint legata, dici potest, etiam aquam lega-  
ro inesse, si in ea regione fuerint legata, ubi venundari  
aqua solet. Et concordat leg. Mella. 14. §. 3. ff. eodem.

Item pro alimentis venit vestis, seu vestitus: cit. leg.  
Legatis alimentis 6. cit. leg. Rogatus 23. ff. de alimentis,  
vel cibariis legatis, leg. Vestis 23. ff. de auro, & ar-  
gento legat. leg. Verbo victus 43. & leg. Quos nos 234.  
§. 2. ff. de verb. significat. Nomine autem vestis, seu ves-  
titus veniunt ea omnia, quae ad corporis tegumentum  
inserviunt, sive sint lineae, sive lanae, sive sericae, sive  
alterius, vel pretiosioris, vel deterioris conditionis, &  
valoris, calceamenta, & ea etiam, quae ad accuband-  
um sunt destinata, ut lectus, culcitra, ac omnia tegu-  
menta, & ornamenta, quae lecto accedunt, & similia,  
per clarum text. in citat. leg. Vestis 23. §. 1. ff. de auro,  
& argento legat. ibi: Vestimentorum sunt omnia lanae,  
lineaeque, vel sericae, vel bombycina, quae induendi, pre-  
cingendi, amictiendi, instromendi, injiciendi, incubandi-  
ve causa parata sunt, & quae his accessioribus vice cedunt,  
quae sunt insulae picturae, clavique, qui vestibus insuntur,  
& concordant leg. Et cetera 44. leg. Instumtum 45.  
& leg. Quos nos 234. §. 2. ff. de verb. significat. &  
notat Glossa communiter recepta in cit. leg. Vestis.

Item pro alimentis venit habitatio, cit. leg. Legatis 6.  
alimentis 6. & cit. leg. Rogatus 23. ff. de alimentis, &  
cibariis legatis. Nomine autem habitations generaliter  
veniunt etiam utensilia, seu suppellectilia; sicut enim  
sine habitatione non potest quis vivere, ita sine dictis  
utensilibus, seu suppellectilibus non potest habitare, arg.  
leg. Labeo 7. §. 1. ff. de suppellectilibus legata. Menochius  
de praesumptionib. lib. 4. praesumpt. 157. num. 23. Sim-  
on de Pretis de interpret. ult. volunt. lib. 4. interpret. 1.  
dub. 11. num. 41. Rosignol. loc. cit. num. 4. & alii.

Item pro alimentis veniunt expensae pro Medicis, &  
medicinis requisitis ad sanandam infirmitatem alimenta-  
rii, cum sine eisdem praesumatur vix vivere posse, per  
text. in leg. Quos nos 234. §. 2. ff. de verb. significat.  
Bartolus in leg. Legatis alimentis 6. ff. de alimentis, &  
cibariis legatis, Misinger. pract. centur. 3. observ. 12.  
Martha de success. part. 4. q. 18. art. 7. num. 8. Rosignol.  
loc. cit. num. 5. & alii cum Rota recent. part. 18.  
tit. 2. decis. 815. num. 24. & 25.

Item respectu personae alicujus dignitatis, & status,  
veniunt pro alimentis equi, servitores, & similia. Me-  
noc. de praesumpt. lib. 4. praesumpt. 157. num. 28. Simo-  
n de Pretis loc. citat. interpret. 1. dub. 11. num. 59. Fa-  
gundez in decalog. lib. 4. cap. 21. num. 8. & cap. 24. nu-  
mer. 2. & seq. Rosignol. loc. citat. num. 5. vers. Ad se-  
cundum genus, & alii cum Rota recent. part. 9. tom. 1.  
dec. 341. num. 33. & 34.

Item pro alimentis veniunt expensae ad addiscendas  
artes honestas, & disciplinas iuxta conditionem alimenta-  
rii, leg. Cum plures 12. §. 3. ff. de administrat. &  
pericul. Tutor. leg. Qui filium 4. ff. de ubi pupillus edu-  
cari debeat, leg. Quod plerumque 2. cod. de alimentis  
pupillo praestandis cum similibus. Menoch. loc. cit. pra-  
sumpt. 191. num. 12. in fin. Joannes Nicolaus Lucidorus  
de illegit. Cleric. cap. 15. num. 15. Rosignol. loc. citat.  
num. 5. in fine, & alii cum Rota recent. part. 9. tom. 2.  
dec. 341. num. 33. & 34.

Item pro alimentis veniunt ea, quae statui, & condi-

tioni personarum possunt convenire, ut respectu nobili-  
um equitum congruae recreationes, venationes, & simili-  
lia. Joan. Angelus Bossius tract. de effect. matr. part. 2.  
c. 2. n. 61. in fin. Fagundez in decalog. lib. 4. c. 21. n. 8.  
& cap. 24. num. 2. Rosignol. loc. cit. num. 6. & alii.

Item pro alimentis veniunt expensae pro funere, si alimen-  
tarius moriatur; quamvis enim propriè alimentorum  
nomine non veniant dictae expensae, computantur tamen  
lato modo inter alimenta, cum sint necessariae ad conveni-  
entem corporis alimentarii defuncti curam. Molina de  
justitia tom. 1. disput. 168. §. Alimenta, Rosignol. l. c.  
num. 6. in fine, & alii. (Cum praecedenti Auditoris doc-  
trina ex num. 1. in totum ferè conveniunt, leg. 2. tit. 19.  
part. 4. lib. 10. part. 5. 24. tit. 9. 20. tit. 17. p. 6. 5.  
tit. 33. part. 7.)

Item pro alimentis veniunt ea, quae necessaria sunt  
ad consequenda omnia supradicta pro alimentis intellecta;  
unde quando titulo alimentorum tribuendum est vinum,  
contribuenda sunt etiam vasa, quibus continetur; textu  
expresso in leg. Si cui vinum 3. leg. Cui vinum 6. &  
leg. Vino legato 14. ff. de tritico, vino, & oleo legato.  
Item si pro alimentis tribuendi sint cibi, tribuenda sunt  
etiam vasa, & alia ad coquinam, & mensam necessaria,  
& sic de aliis similibus, arg. leg. Labeo 7. §. 1. ff. de su-  
pellectilibus legata. Simeon de Pretis loc. cit. dub. 1. n. 41.  
& sequent. Surdus de alimentis tit. 4. q. 3. num. 4. Me-  
noch. loc. cit. praesumpt. 157. num. 17. Rosignol. loc. cit.  
num. 7. & alii. Concesso enim sine, etiam media, qui-  
bus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur, cap. Prae-  
terea 5. cap. Prudentiam 21. & cap. Suspicionis 39. de of-  
ficio deleg. & leg. Cui jurisdictio 2. de jurisdictione, cum  
similibus. (Vide leg. 47. tit. 18. part. 3.)

Alimenta praestari debent servato ordine, & gradu  
conjunctionis, ut qui proximior est, & magis conjunctus,  
ea subministrare teneatur. Rota recent. part. 18. tom. 1.  
dec. 330. num. 7.

Hinc in primis tenentur parentes alimenta praestare  
filiis, leg. Si quis à liberis 5. ff. de agnoscendis, & alen-  
dis liberis, leg. Unusquisque 2. cod. de infantibus expo-  
sitis, leg. Non solum tenentur parentes alimenta praestare  
filiis legitimis, sed etiam spuris, ex damnato coitu natis,  
vide verb. Filius num. 127. Cum hac tamen differentia,  
quod mater tenetur alere filios primo triennio, & post  
triennium tenetur pater usque ad emancipationem. Vide  
dict. verb. Filius num. 128.

Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu pa-  
tris, & aliud respectu matris, respectu enim matris intel-  
ligitur solum lacte; plus enim non tenetur mater praestare  
filio; unde si ipsa alia necessaria subministraverit sine  
animò donandi, potest repetere à patre. Vide dict. verb.  
Filius num. 129. Si autem mater nequeat ipsa lacte praebere  
proli, tenetur pater suis impensis nutricem conducere.  
Si vero possit, ipsamete tenetur praestare, vel suis impen-  
sis nutricem conducere; nisi alicubi aliud ferat legitima  
consuetudo. Vide dict. verb. Filius num. 130.

In defectu patris, si vis videlicet pater sit, aut pe-  
rierit, tenetur alimenta praebere filiis etiam illegitimis, &  
spuris avus paternus, vel alii ascendentes; & in defec-

ti & tertii meliorationem si facta haec fuerit, excesserit, perneccesse erit conferendum (1)

Dum patri, habita insuper canonica aequitate, ad illegitimos sustentationem bona deficiunt, ejus ascen-  
dentibus nulla legalis inest obligatio, etsi divites fuerint, eos compellendi erga alimentum praestationem; iuxta nostras  
ordinationes, maternos ascendentes ligat, & in ipsis continuatur obligatio. (2)

Ley del Fuero à qualquiera de sus nietos ó descendien-  
tes legitimos, puesto que sus hijos, padres de los dichos  
nietos ó descendientes sean vivos, sin que en ello se  
les pueda poner impedimento alguno. Vide verb. Haeres,  
Successio ab intestato, & Testamentum.

(1) L. 3. tit. 8. ejusd. Quando algun hijo ó hija vi-  
niere à heredar ó partir los bienes de su padre ó de su  
madre, ó de sus ascendientes, sean obligados ellos, y  
sus herederos à traer à colacion y particion la dote y  
donacion propter nuptias, y las otras donaciones, que  
hubiere rescibido de aquel cuyos bienes vienena à heredar:

(2) L. 5. l. 19. part. 4. ibi: Mas los que nascen de  
FERRAR, BIBLIOTH. TOM. I.

tum ascendentium paternorum, haec obligatio devolvitur  
ad matrem. Vide dict. verb. Filius num. 131. Deficiente  
autem matre, tenetur filiis alimenta praestare avus, alii-  
que ascendentes materni, leg. Si quis à liberis 5. §. 5. ff.  
de agnoscendis, & alendis liberis, & leg. Non quemad-  
modum 8. ff. eodem. Vide dict. verb. Filius n. 132. &

Mortuis parentibus, & avis, filii, & nepotes etiam  
spurii alendi sunt ab eorum respectu hereditibus, colligi-  
tur ex leg. Si quis à liberis 4. §. 17. de agnoscendis, &  
alendis liberis, leg. Qui filium 4. §. ubi pupillus educa-  
ri debeat. Authentice. Licet, cod. de naturalibus liberis,  
& ex leg. Si quis igitur habens filios, Authentice. Quibus  
modis naturales efficiantur sui. Et ratio est, quia obliga-  
tio, quam habent parentes, & avi alendi filios, ac nepo-  
tes, non solum est personalis, sed etiam realis, & non  
solum afficit personam, sed etiam bona ejusdem personae,  
adeoque deficiente persona obligata, remanent ejusdem  
bona obligata, ad quoscumque haeredes etiam extraneos  
traseant, quia quisvis moriendo non potuit eximere bona  
propria ab illo onere, cui jure naturali erant obnoxia;  
arg. authentice. Res quae cod. communia de legatis,  
Rota recent. part. 6. dec. 255. num. 22. & 24. part. 8.  
dec. 167. num. 23. part. 18. tom. 1. decis. 331. num. 1. &  
tom. 2. dec. 561. num. 10. Rosignol. loc. cit. n. 12. & 16.  
cum pluribus ibi allegatis. Vide verb. Filius num. 134.

Clericus tenetur alimenta praestare filiis ex damnato,  
& sacrilego complexu, etiam in sacerdote suscepiis, &  
deficiente patrimonio, potest eos alere ex fructibus benefi-  
ciii. Abbas in cap. 1. num. 4. de cohabit. Cleric. & Mu-  
lier. Navar. in tract. de spoliis Clericor. §. 10. num. 11.  
Surdus de alimentis tit. 1. quest. 10. num. 29. Pignatelli  
tom. 9. consult. 139. num. 211. cum aliis ibi allegatis.  
Vide dict. verb. Filius num. 134.

Parentes, alique supracensiti non tenentur alimen-  
ta praestare filiis, & nepotibus, si ipsi aliunde habeant,  
quo sufficienter se possint alere, vel aliqua arte polleant,  
qua honestè iuxta conditionem proprii status sine dedeco-  
re possint sibi victum quaerere, leg. Si quis à liberis 5. §. 6.  
ff. de agnoscendis, & alendis liberis, & Bartolus ibid.  
§. Sed si filius. Antonius Thesaurus decis. 211. num. 14.  
Petrus Barbosa in leg. 1. part. 4. num. 62. & sequent. ff.  
solutio matrimonio. Surdus de alimentis tit. 1. quest. 78.  
num. 32. Carpanus ad statut. mediolan. decis. 317. nu-  
mer. 48. Rosignol. loc. citat. praenot. 4. num. 7. Navar.  
in manual. cap. 14. num. 17. Molina de justitia tom. 1.  
decis. 160. §. Alimenta. Bonacina de praeccept. disp. 6.  
q. unica punct. 6. §. 1. n. 3. & plurimi alii, quos con-  
gerit, & sequitur Joannes Angelus Bossius de effect. ma-  
trim. part. 2. cap. 2. cap. 1. n. 27. Alimenta enim debent  
praestari, si necessitas adsit; & non aliter. Vide dict.  
verb. Filius num. 135.

Item pater non tenetur praestare alimenta filio, si sine  
justa causa nolit habitare cum ipso. Jason in l. Quidam  
cum filium num. 6. ff. de verb. obligat. Romanus in leg.  
Sicut docem, §. Transgrediamur in fin. ff. solutio mari-  
monio. Ascanus Clemens de patria potestate. effect. 17.  
num. 32. Steph. Gratian. discept. forens. tom. 3. c. 552.  
num. 41. & 44. Rota Roman. decis. 117. num. 1. post  
tom.

las otras mugeres, asi como de adulterio ó de incesto, ó  
de otro fornicio, los parientes que suben por la línea de-  
recha de partes de padre, non son tenudos de los criar,  
si non quisieren. Fuera desde si lo ficieren por su mesu-  
ra, moviendose naturalmente à criarlos, é à facerles al-  
guna merced, asi como farian à otros extraños, porque  
non mueran. Mas los parientes que suben por la línea de-  
recha de partes de la madre, tambien ella, como ellos, te-  
nudos son de los criar, si ovieren riqueza con que la pue-  
dan facer. E esto es por razon, porque la madre siem-  
pre es cierta del fijo que nasce de ella, que es suyo, lo que  
non es el padre de los que nascen de tales mugeres.